



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Benedictus Redivivus Hoc est: Benedictinij Ordinis
Vetustißimi Amplißimique, Nostra, ac supera ætate
Jmmarcescibilis Vigor, ac Viror**

Bucelin, Gabriel

[Veldkirch], Anno Christi. M.DC.LXXIX.

Iesu Christi Annus. M.DC.XXXII. Sancti Patris Benedicti. M.C.LII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38498

na Nobilitate, prudentia juxta admirabili, & singulari excelluit Magnanimitate, cujus regiminis anno decimo, summo cum ejusdem animi gaudio, ultima & perfectissima in Monasterium Reformatio introducta fuit, ipsa imprimis promovente & connitente, omnesque, Reformationi se accommodantes & conformantes, magno charitatis affectu & humanitate complectente & amplexante. Quæ alia inter Benedictinæ Regulæ, singularem prorsus, & Conservatricem totius disciplinae omnisque sanctitatis, Silentij Regularis attendens utilitatem & fructum, incredibile studio sollicitè præcavit, ne horis & locis incompetentibus, ulli unquam causa daretur, tam sancti, tamque proficui quieti Monasticæ præcepti violandi, quod singulare totius Ordinis & disciplinae Benedictinæ fulcrum, & quietis in Monasterijs ac pacis solidæ pignus esset, & neglectum, irregularis vitæ, infinitarumque turbarum, certissimum signum haberetur. Fuit ipsa admirabile suis omnibus Virtutis speculum, profuitque non minus suis quam præfuit, annis 24. hoc anno pridie Assumptionis Beatissimæ Matris Virginis, ad concelebranda ejusdem in cœlis solemnia anno 1631. evocata. *Ex monumentis ejusdem Cænobij.*

Sanctæ in Domino requiescit.

*IESU CHRISTI ANNIS. M. DC. XXXII.
Sancti Patris Benedicti. M. C. LII.*

Frigidissima etiam Polonia, frigidissima ætate nostrâ Benedictini fervoris flammam, splendoris radios longè latèque spargit, & insigne hoc ipso anno, vigesima quarta Februarij sydus cœlis destinat. Hoc ex Culmensi Nobili Virginum Cænobio prodijt, fuitque sanctæ memoriae Magdalena, Culmensis Abbatissa. Illustri admodum familiâ parentes habuit, Mortificâ scilicet, veteri admodum & imprimis conspicuâ, ipsa Illustrior Virtute quam genere, ut quæ veram animi Nobilitatè à teneris unguiculis studuerit comparare. Cænobium præfatum ingressa est, invitis parentibus, ipsædemque multum obnitentibus, Monasticen est professâ. Ob eximia deinceps talenta summæ Virtutis decora ejusdem loci Abbatissa electa, neminem radijs eximie perfectionis perstrinxit; merito

Ven. Magdalena abbat. Culmensis.

Culmen Culmensis Cænobij celebrata. Hæc Monasterium non solum summo perditissimo hoc tempore strenuè reformavit, sanctioris vitæ Gymnasium & Palæstram, constituit, sed & quinque alia mira felicitate condidit, quibus lectissimarum Virginum, Nobilem omnino Coloniam induxit. Quin & Apostolico laborans Zelo, ut longè latèque Hæreses profligarentur & Hæretici in viam Veritatis & ad gremium Catholicæ reducerentur Ecclesiæ, Collegium insigne Patrum Societatis Jesu Torunij fundavit, & veteri nostrorum more, omnium Novorum Ordinum Patronos agentium, Patres illos insigniter fovit & promovit: verè ætera & Christi disciplina Magdalena, è Schola Sancti Patris Benedicti Scholastica, cum insignibus probatissimæ pietatis, dignissimæ Humilitatis, & ferventissimi Zeli exemplis, hocæ sæculum nostrum, in amplissimo Poloniae Regno, haud leviter exornasset, & sacrum Ordinis rigorem latius restituisset, plurimasque ex lectiore Regni Nobilitate Virgines Numini lucrata adduxisset, ad præmia felicitatis æternæ evocata est. *Ex Menologio Polonico, Abr. Bzovio, Crammery.*

Reformatrix strenua.

Collegium Patrum Societatis fundat.

In Hispanijs mirâ effulget perfectioris vitæ summæque eruditionis famam Reverendissimus & Illustrissimus Dominus P. F. Maurus de Villaroel, ex Monacho Sancti Salvatoris de Lorenzana in Regno Gallitiæ, ac Congregationis Benedictinæ Generali, deinde Abbate Sancti Vincentij Salmanticensis, primum Episcopus Sacensis, demum Oscensis in Regno Aragoniæ pro meritis electus Episcopus, ubi relinquens manifestæ sanctitatis insignia, usque hodie summo in honore habetur. *Ex Relat. R. P. F. Francisci de Ayer. Mon. S. Turibij.*

Maurus de Villaroel.

Memorabili ad omnem æternitatem Charitatis in proximum exemplo Galliarum Regno prælucebat Cæcilia à Sancto Carolo Cognominata, illustrissimæ prosapiæ (familie tacetur. nomen) Virgo lectissima, sed vitæ spectatior sanctior, ob hanc ipsam dignissimam, quæ pacis post Monasticæ vitæ perfectionem annis, Novitijs præficeretur, non tam pro Magistra, quam exemplari & speculo perfectionis futura. Hæc verè ardentissimo Charitatis

Ven. Cæcilia à S. Carolo.

tatis vulnerata telo, præmatura quidem, sed felici admodum morte, vitam sanctissimam terminavit: Cum enim inaudisset, sororem quandam magni nominis, quæ tunc Monasterio præerât, cum Cæcilia Religioni Calvaria nomen dedisset, pestilenti febre graviter & periculosè decumbere, miserata pijsimè tam charæ matris dolores & periculum, magna animi contentione DEUM precata est, ut ægram valetudini redderet & vivam servaret, pro qua promptissimè ipsa suâ parata esset vitam offerre. Audivit factam ex ardenti charitate orationem DEUS; ipsaque Cæcilia paulo post lethali consumpta morbo excessit, alterâ superstitè & pristina reddita Sanitati. Ex R. P. *Amando Tribout.*

pro mortura Numini se offerens impetrat.

In Germania, in immani Catholica Religionis, & Monastica Vitæ persequutione, cælo se probant, multa Religiosorum pectorum millia, alijsque consilio Christi, de civitate in civitatem fugientibus, alijs, in Voluntarium pro Numine Sacrificium sese offerentibus; incredibile dictum est, quanta sese exempla prodiderint, admirandæ in omni Martyrio patientiæ, in fame, siti, nuditate, inque omnibus periculis constantiæ & magnanimitatis.

Nostrorum invicta Generositas.

Novimus ipsi qui indignissima, & atrocissima, ipsa quoque morte duriora passi, Divina tamen protegente gratia, ad multorum salutem reservati, ipsis hostibus, ob incredibilem, in omni tribulatione, dolore & angore patientiam summæ extitere admirationi. Sunt qui famem extremam, nuditatem, carceres, vincula, verbera crudelia experti, ut pedem tamen è sacra moverent statione, nunquam consenserunt. Fuit, qui destuas sterquiliniæ aquas, quantum capere corpus humanum poterat, violenter infusus, bibere coactus, toto dein confusu Hæreticorum, & insultu pedibus prostratus, ingens mortis periculum, æquissima fronte, animo serenissimo, patientissimè toleravit; imo gratias Numini immensas egit, quod ejus causa hæc pateretur. Paucos, de quibus constet, jugularunt omnino & peremerunt, vel quod paria ab exercitibus nostris metuerent, vel quod inde Martyrum honorandos titulo scirent & invid-

Calamitates nostrorum tempore belli German.

rent; etiam unus præ alio crudeliùs sæviret, & multi qui necem inter supplicia evaserant, postea ex nimia à tormentis debilitate interirent. In Monasterio Imperiali Weingartensi juvenem Fratrem Venerabilem F. Rupertum ex Illustrissima familia Comitum Khuon de Belasij, Liechtenberg &c. natum, Carolo, Matre Perpetuâ Comitissâ de Lamberg Supremi S. C. M. Cubicularij Joan. Maximiliani amicitia, Joan. Jacobi Archiepiscopi Salisburgensis ex fratre nepotem, innocentissimæ vitæ juvenem, cæteris Religiosis vix fuga servatis atrocissimâ febre detentum, immaniter tractarunt, horrendum verberibus dedolarunt, aliquoties, donec nigresceret suspendebant, seminecem de novo cruciarunt, donec demum aliquis a sciam capiti gravi ictu infligeret infingeretque, & generosissimus adolescentis animus carcere corporis solutus, ad præmia Martyrum evolarer, quod non semel ipse prædixerat, & quod mirabile! hostis adventum, nemine suspicantè, disertè delignans, quæ fugiendum esset, serio monuerat, ne in hostis manus inciderent; uti revera res sese habuit, hoste, unde nunquam putabatur, fugientes excipiente & trucidante; & qua venturus credebatur, omnibus securè evadentibus. Projectum nudum in lectisternij sacco juvenis cadaver, ea, eo ipso colore, corporis reliquit lineamenta, cujusmodi in sacra Christi apparent, syndone, apparentibus profundi in capite vulneris signis, & circumfluentis undique sanguinis, argumentis quoque evidentibus castissimæ mentis, pedis alterius supra alterum ab ipsa coxendice, & utriusque brachij & manus obiectu, Pudorem, protegentium. Fuit vitæ verè innocentissimæ; juratus sui corporis hostis, tanto obedientiæ studio, ut iustus, in ardentem fornacem certò se commissurus videretur, abstinentiæ & devotionis studio addictissimus, abhorrebat ab omnibus sæculi solatijs, solide comprobatus, nihilque abhorrens magis, quàm de suorum inaudire Nobilitate, nudis plerumque genibus, sacris aëtus exercitijs & orationi incumbere, quibus tantopere intentus erat, ut si circum omnia ruerent, ipse immotus & quasi insensibilis, nulla se penitus

F. Rupertus Khuon de Belasij.

Horribiliter tractatus & occiditur.

Ejus vita innocentia.

ratione moveret, vel circumspiceret, nulli sermone attentus, nisi de Divinis rebus esset, talis per omnia, qualem primævo Ordinis sæculo, optimum, quemvis fuisse, nobis imaginamur. Sepultus in Camiterio Fratrum occultè fuit à fidelibus famulis, hostibus tunc fortè aliorum evocatis, è cuius tumuli medio, unica atque elegantissima, frumenti exerevit spica, quam cum prothesauro, tanquam Martyris, nuper Novitiorum magister ad maturitatem expectaremus, uti mors illum, ita & messor mihi præmaturè cum gramine demessuit, meamque multum lugentis expectationem delusit. Occubuit expectatissima sibi die & hora 6. Julij, ipsà Apostolorum Petri & Pauli Octavà, consummatus in brevi, & explens tempora multa; cuius memoria extat in Benedictione.

*Frumenti
spica unica
tumulo ex-
crevens.*

Extinguitur hoc etiam anno lucidum Prælatorum in Germania sydus Reverendissimus Pater. ac Dominus Wilhelmus Rivius Abbas dignissimus Monasterij Sanctorum Petri & Pauli. Abdingkhorfensis, Zelator disciplinæ Monasticæ ferventissimus; de Ordine nostro summopere meritis, alia inter beneficia viris præstita, plurima. per Westphalam & Saxoniam Virginum reformans Monasteria, & novo feryore sacras Virgines accendens, magno inde fructu, & adificatione fidelium consequentibus. Vivere in terris delijt hoc anno post decantatas Martinas S. Michaelis Archangeli, inter verba beatissimæ mortis prænuncia & magna supremæ luctæ solatia: *Maria Mater Gratie, &c. & horâ mortis susceptus inque somnû desideratissimæ, post tot labores, quietis resolutus. Ex monim. ejusdem Cenobij communicante Reverendissimo loci Abbate Leonardo van der Becke, &c.*

*Wilhelmus
Rivius Ab-
bas Ab-
dingkhor-
fensis.*

IESU CHRISTI ANNUS. M. DC. XXXIIII.
Sancti Patris Benedicti. M. C. LIII.

Miraculum nostræ ætatis insolentissimum, non sine sacro horrore & religiosissima reverentia prodendum. Horret autem animus nostris referre verbis, quod ipsismet sancti scriptoris possumus, de sanctæ memoriæ, æqualis nostræ, Annæ de Goulesne; postea, uti diximus Annæ Mariæ à Jesu Crucifixo dictæ, vita admira-

*Ven. Anna
de Goules-
ne.*

bili prorsus, Divinique Numinis in ipsam Gratiarum profusionibus, planè inexhaustis. Sic ergo habet: Sæpè inter Missarum solemnias, puellum Divina facie, sole ipso clariorem in sacra hostia conspiciebat; sæpè Divinis luminibus collustrata undecunque radiabat, atque ea, quæ non licet homini loqui, Deo præceptore, sibi distinctissimè explicata mirabatur. Sæpè cum pro Religionis more statis horis decumbere vellet, fiebat super eam Omnipotentis Dei manus, raptamque in extasim, noctes integras cubili astantem, quæ ad Martinas, fores pulsabat, Soror stupens reperiebat. Interdum ubi ex Obedientia, vel operi manuum, vel scriptioni vacabat, cadebat super eam excessus, conversisque licet in cœlum, fixisque oculis, ita tamen perfectè (res mira!) opus exquebatur, atque si tota ingenij & mentis industria, in id solum incubuisset. Humilem animum deprimebant eminentissima hæc charismata, tanto siquidem candore, tantâ innocentia & simplicitate Patribus Spiritualibus, quos ad probandum hujusmodi Spiritum, si ex Deo esset, sæpè Superiores adhibebant, morem gerebat in omnibus, ut non solum ex fructibus arboris nobilissimæ bonitatem augurarentur, sed potissimum ex subjectione & Obedientia, quæ mirabilis in hoc sydere emicabant, quam ipsimet, invisitati motus. Stupendum prorsus, quod sequitur: Die sacro Parasceves, annui Tyrocini, ubi dirè semet flagellis cecidisset, juxta Congregationis ritum, in Cella Calvaria nuncupata (quippe quæ ipsam ad vivam referret) ac circa meridiem, ante prandium, extensis brachijs, ter *Pater & Ave* recitaret, visa est ab omnibus, ipsa Anna, inibi mirabiliter extendi, atque in Crucifixi morem deductis manibus, brachijs pedibusque invisibiliter aptari, abscedenteq; Conventu, ex Superioris mandato, ipsa cum nonnullis ex antiquioribus remansit, hujusmodi Crucifixionis, quis futurus esset exitus, observatura. Viditque per tres horas, in hac corporis violentissima extensione, debilem Virginem, viribus exhaustam, jejunam, immotam, perseverasse; quo tempore eam dolorum suorum acerbissimorum participem nobiliter esse-

Fig. 1. 2.

Fig. 3. 4.

Fig. 5. 6.

Fig. 7. 8.

Fig. 9. 10.

Fig. 11. 12.

Fig. 13. 14.

Fig. 15. 16.